



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica**

**Geulincx, Arnold**

**Lugd. Batav., MDCLXXV**

Lector Benevole.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)



LECTOR  
BENEVOLE.

<sup>R</sup> **H**ic est Libellus de Virtu-  
tibus Cardinalibus: No-  
men à vulgo sumpsi (sic decet)  
A 5 Rem

<sup>X.</sup> *Hic est libellus de Virtutibus Cardinalibus.]* Vir-  
tutes Cardinales sunt tales virtutes, quæ necessario  
concurrunt ad omne Virtutis exercitium: ita ut nul-  
lum possit esse opus bene & ex Ratione gestum, quod  
aliqua earum destitutum sit. Tales sunt hæ quatuor:  
Diligentia (seu auscultatio rationis) & Obedientia  
(seu executio rationis) & Justitia (seu adæquatio ra-  
tionis) ac denique Humilitas (seu sui ipsius Incuria.)  
Si enim opus aliquod bene rationabiliterque fiat, ne-  
cesse est ut auscultemus quid ratio jubeat (alioquã  
enim casu benefaceremus; jam autem casu benefa-  
cere est absolute malefacere (ut patebit Tract. ult. ubi  
de prudentia) ut exequamur quod ratio jubet (si enim  
non id quod ratio jubet, sed quod Passio aliqua urget  
fecerimus, opus nostrum bonum esse non poterit) ut  
adæquemus opus nostrum rationi, seu nec plus nec  
minus faciamus, quam ratio præscribat (si enim plus  
minusve fecerimus, non id fecerimus) & denique ut  
nostram nullã curã ducamur (nam si nos ipsos cura-  
verimus, non id fecerimus quod ratio, sed quod Phi-  
lantia, hoc est amor sui ipsius jubet.

Rem à Natura (nam & hoc Phi-  
losophum decebat) mutuatus sum:  
Non enim eadem mihi Virtutes  
Cardinales recensentur, quæ  
vulgo: vulgo hæc Prudentia, Ju-  
stitia, Fortitudo, Temperantia;  
mihi istæ Diligentia, Obedien-  
tia, JUSTITIA, Humilitas.  
Prudentia manifestè excidit (vi-  
derunt id ante me complures)  
hæc fructus Virtutis & admini-  
culum, <sup>a</sup> non Virtus: Convenit  
inter nos de Justitia: Ambigitur  
ergo tantum de Fortitudine &  
Temperantia. Sed hæc abesse pos-  
sunt à Virtutis exercitio, forte  
non simul, sed saltem singulæ:  
nam inter adversa, nullus est lo-  
cus Temperantiæ: <sup>b</sup> inter secun-  
da,

<sup>a</sup> Lumen clarissime illi præluens in via, qua exit  
in officium.

<sup>b</sup> Quippe quæ imperiosa voluptatis jugum duntaxat  
& dominium excutit.

da, Fortitudini nullus<sup>c</sup> (Nec au-  
dio eos, qui inter secunda, non  
succumbere illecebris, Fortitu-  
dini; <sup>d</sup> inter adversa moderari  
timorem, Temperantiæ ascri-  
bunt: Laborant in Analogo, nec  
satis dictionem propriam à figu-  
rata distinguunt: nam illud non  
succumbere<sup>e</sup> tantum est non  
pellici; <sup>f</sup> quod solius Temperan-  
tiæ: <sup>g</sup> & hoc moderari<sup>h</sup> tantum  
est non deterreri; <sup>i</sup> quod solius  
Fortitudinis est<sup>k</sup>. <sup>l</sup> At verò nul-

A 6 lum

<sup>c</sup> Hæc enim tristitiæ, timorisque sagittas vividè re-  
tundit Cataphractus umbo.

<sup>d</sup> Juxta belgarum non infrequens adagium, 't sijn  
stercke benen / die weelde dragen kunnen.

<sup>e</sup> Quod illi inter secunda fortitudinis vindicant.

<sup>f</sup> Seu voluptatis gratiâ nec facere quid, nec missum  
facere.

<sup>g</sup> Neque ullus hic fortitudini locus, nisi per *Ana-*  
*logum*.

<sup>h</sup> Quod inter adversa temperantiæ adscribunt.

<sup>i</sup> Seu timoris gratiâ nec facere quicquam, nec mis-  
sum facere.

<sup>k</sup> Et ut id quod res est dicam, nullas hic partes sibi  
adsciscit fortitudo.

<sup>l</sup> Atque adeò citra temperantiam, prout hic su-  
matus,

lum est Virtutis exercitium sine  
illis quatuor, quas ego C A R D I -  
N A L E S feci: ut enim actio ali-  
qua sit legitima, audienda est Ra-  
tio (hoc Diligentiae) faciendum  
quod dicit Ratio (hoc Obedien-  
tiae) & id faciendum: non plus  
non minus (hoc Iustitiae) Ideo-  
que non sui causa faciendum (hoc  
Humilitatis est.) Sunt igitur haec  
Proprietates inseparabiles à Vir-  
tutis exercitio: & ut opus quod-  
cumque bene à nobis fiat, neces-  
sum est in eo nos, & diligentes, &  
obedientes, & justos ac humiles  
esse.

Sicut autem has res, (quod  
dicebam) à Natura accipio: sic  
&

mitur, officium virtutis datur: ea autem temperan-  
tia, quae medio it, & quod superest refecat, addit quod  
deficit, non est, quae hic intenditur; sed ipsissima illa  
Iustitia, ut eam vocitamus, quae dum Cardinalis est,  
etiam à nullo virtutis officio excluditur. Ita etiam  
virtutis quoddam officium est, cum quo non concu-  
rit fortitudo.

ne  
I-  
li-  
a-  
m  
n-  
US  
O-  
OC  
de  
r-  
d-  
f-  
p-  
25  
d  
ic  
p-  
n-  
od  
la  
t,  
m  
r-  
*& naturaliter eas accipio ac tra-  
cto: Nihil admisceo ex sacris fon-  
tibus: totum ex Ratione est, quid-  
quid hinc est rivuli. 2 Hinc inter  
scri-*

2 Hinc inter scribendum illa miratus saepe fui, quod  
nunc item miror. Tres virtutes Cardinales miore satis  
agnoverunt & Ethnici: nam Plato, Aristoteles  
aliique, auscultandum esse Rationi, faciendum esse  
quod jubet ratio, & id unum esse faciendum (quibus  
punctis diligentia, Obedientia & justitia continen-  
tur) satis aperte docuerunt. Et quis est, qui id igno-  
ret? Sed profunde ignoraverunt quartam, seu Princi-  
pem inter Virtutes Cardinales, Humilitatem: cujus  
ignorantia hæc est ratio, quod totam Ethicam & om-  
ne genus morum semper direxerint ad utilitatem ali-  
quam, vel suam, vel (cum sublimius aliquid sapere  
videntur) ad Reip. Patriæ, vel etiam humanæ socie-  
tatis; inter illos Epicurus; inter hos manifeste Ari-  
stoteles & Plato, sed in hoc magnopere falsi fuerunt:  
cum enim ratio, quam virtute amamus lex quædam  
sit nobis juxta atque integro humano generi lata, de  
ratione quidem ejus est, ut qua talis non sit benefi-  
cium, nec faciat ad utilitatem & commodum no-  
strum (sic enim potius privilegium quam lex esset)  
imo si ratio quatenus lex est nobis injuncta respiceret  
commodum, emolumentum favorem nostrum, pos-  
semus ei renunciare: nam lumine naturæ notissimum  
est, integrum esse cuique renunciare ei juri, quod in  
favorem suum introductum est, igitur non esset lex:  
nam lex cui obtemperare non debes, cui cum placet  
nuncium remittere potes, non lex, sed nugamentum  
legis est, ut per se notum est; jam vero neque nos in  
individuo, neque genus humanum universum abdi-  
care nos possumus in legibus, quas Deus & ratio no-  
bis

*scribendum illa, miratus saepe fui,  
quod nunc item miror; gentiles  
nostros (non quidem iisdem, qui-  
bus nos sacris operatos; sed tamen  
eidem Rationi) magno hinc inge-  
nio, magno animo, magno studio  
& curâ, non nisi magnopere ab-  
errasse: idque in solo tam plano,  
& à via tam rectâ ac regiâ: ha-  
bentes etiam divinum illud Ora-  
culum, quod inter se toties decan-  
tabant, ipse te nosce: Quo filo  
si rectè usi fuissent, non modò fa-  
ciles has vias ambulare, sed vel  
inexplicabilem Labyrinthum, si  
res ita tulisset, expedire debuis-  
sent. Omnes Philautia seduxit:  
Neminem hinc eximium facio, ne  
magnum quidem Platonem; qui  
eximendus erat (fateor) si eo-  
rum*

bis injunxerunt: non sunt ergo qua tales in favorem  
nostrum lata; adeoque qua tales extorquent à nobis  
humilitatem seu Incuriam nostrum.

rum quisquam: Omnes omnibus  
velis & remis ad Beatam Vi-  
tam: Omnes de sua felicitate, &  
ex cupiditate suæ felicitatis la-  
borant; Atque hinc illæ lacry-  
mæ. Soli Christiani ex Sacris  
suis hîc aliquid sapiunt: soli; Sed  
inter solos, quam pauci! Ethico-  
rum Schola, cum Ethnicis suis,  
quorum dogmata profitetur, in-  
sanit. Populus autem ut pluri-  
mum his, quos illa Schola for-  
mavit, magistris & oratoribus  
utitur.

Et Christiani quidem qui hîc  
sapiunt (ut dixi) ex Sacris suis  
sapiunt: Nemo, quod sciam, Phi-  
losophum hîc egit, & puræ putæ  
Rationis Naturalis acu (nam  
hoc Philosophari mihi est) rem  
illam tetigit. Quid ergo? His  
omnibus, tum gentilibus, tum  
Christianis unus ego subtilior?  
Non



Non sum tam pueriliter affectus,  
ut id mihi sumam. Sed quod Mi-  
croscopio (ævi nostri & Belgii  
nostri invento mirabili, mira-  
culo) atomos intuentibus usu  
venit: Nam minimæ, quæ at-  
tentos oculos penè fugiebant mi-  
nutiæ, hujus instrumenti benefi-  
cio, in justam aspectui molem ex-  
crescunt: ut videri jam in iis,  
quæ alioqui visæ nunquam fuif-  
sent, partes variæ, varii colo-  
res, anguli, sinus, tuberes facile  
possint; Sed (quod etiam mirère)  
cum ita Microscopium adhibue-  
runt, eo paulisper seposito, solis  
jam oculis notant & designant,  
quæ nisi primùm ope illius instru-  
menti vidissent, nunquam vidis-  
sent: audent jam nudi oculi quis-  
quiliarum antra rimari quæ pri-  
dem non nisi conspici illorum vitro  
cataphracti subiissent. Id & mihi  
usu

usu venit : Verbum Dei est mihi  
Tubus Batavicus : Quæ, & ope  
ejus vidi, & non nisi ope ejus vi-  
dissem, etiam eo seposito aliqua-  
tenus video : imò quædam talia  
satis imposteriorum video sine Tubo,  
& tam perfectè ac si illo instru-  
ctus essem. Acribus & acutis  
gentilium nostrorum oculis non  
antefero meos : obtusius illi qui-  
dem viderunt ; sed perspicillo  
meo caruerunt. Christianos verò  
eos (pauci sunt) qui hæc in sacris  
suis agnoverunt. hortor ut hîc  
eadem mecum recognoscant : ju-  
vat : Docent id nos, qui Micro-  
scopiis utuntur.

Ad extremum, Lector, sæpe  
sis hîc lector : Et quæ legis in  
Libello meo, relege ea in animo  
tuo : Ne dubites ibi etiam hæc  
scripta sunt.

C A-